



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvací, 1625

De opere Marthæ. II.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

specialiter spectat ad Martham , sicut vacare ad Mariam . Non tamen istæ duæ sorores ab inuicem separari , nec debent de statu suo contendere : sed magis studeant pariter Christum hospitio recipere , ut in omnibus possint perfectè stare , & quotidianis proficere virtutum augmentis .

§. 2. Opus Martha.

*Luc. 10.
2. Cor. 8.*

2. Pet. 1.

Martha seruiat , laboret , atque prouideat bona coram Deo & hominibus , vt soror eius Maria liberius vacet diuinis . Nec murmuret contra sororem suam , quod eam solam reliquit ministrare : sed potius adhortetur , vt in quiete & silentio se teneat , & nullis se mandi occupet negotijs : sed I E S U M semper præ oculis habeat , in quem Angeli prospicere concupiscunt . Audiatque eū , & miretur de verbis gratiæ , que procedunt de ore eius ; atque tallem se exhibeat , vt digna sit auditu diuino . Tam purum & absque terrena mole cor suum præparet , vt cælestibus desiderijs accessa , quandoque mereatur introire cum ipso , ad inconsueta dulcedinis eius gaudia .

§. 3. Opus Maria.

Maria verò sorori suæ compati debet , & sapientius Dominum orare ; vt dignè & deuotè valeat ministrare sibi & alijs necessaria huius vitæ , vt patiens sit in aduersis , fidelis & prudens in omnibus negotijs suis : atque sic exteriora moderetur & ordinet , vt seipsum interius non omnino negligat : sed cum tempus occurrerit , exemplo suo ad vacandum sibi paululum , in secretum secedat . Nec sibi soli & Deo vivere magnum & gaudiosum reputet , sorore relicta sub sarcina . Sed pio considerationis oculo , eius memor sit apud dilectum suum ; nec non consolationis verbo , quantum valet , subleuamentum deferat . Memento Maria , quod non vales liberè vacare , nisi Martha voluerit prote laborare : & nisi illa exteriora disponeret , tu minus lucide interiora videres . Ut illic est tibi sororis tuæ solicitude , vt nō perturbetur tua desiderabilis solitudo . Ne ergo velis sororem tuam contempnere , aut iudicare minus sanctam , quia occupatur rebus transitorijs vilibus que materijs . Magis autem hoc cogita , quantam tibi in humilitate seruitutis suæ præstat contemplandi occasionem . Quæ licet exteriora procuret , dispenset , & custodiat ; alia tamen habet in intentione cordis , quæ principaliter amat . Nam Iesus Christus utique est finis , pro quo in tantum laborat , propter quem etiam sibi non parcere à manè usque ad vesperam nō refugit , vt alij fructum spirituale ex hoc maiorem consequantur . Dilige proinde sororem tuam , & defer ei compassionem , orationem , reverentiam , &

EXCL^o

